21654/P

D. JO. WOLFFG. KÜNSTEL,

DISSERTATIO MEDICO-CHYMICA

DE

SALIBUS METALLORUM

PRÆSERTIM

AURI ET MERCURII.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIÆ,
Apud JO. FRIED. GLEDITSCH
ET FILIUM.
ANNO ɔIc Icɔɔ XI.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

PROOEMIUM.

CReatorem ex Creaturis, Deum ex operibus ipſius cognoſcendi & celebrandi viam licet ipſe *Sacer Spiritus* mortalibus operoſe inculcet; imo diſerte mundum hunc univerſum non alium in finem fabrefactum eſſe teſtetur, quam ut miſeri homines, qui ob verum mentis lumen amiſſum Deum Creatorem ſuum cernere nequeunt, creaturis tamen ab ipſo productis utentes & fruentes, eundem veluti manibus palparent: Interim tamen dolendum eſt, paucos admodum homines huic viæ inſiſtere, ſed brutorum ad inſtar creaturas diripiendo, & libidini, luxui, faſtui impendendo mundum hunc vaſtare potius, quam legitimo rerum creatarum uſu & contemplatione amœna gaudere, ac humano more in ornatisſimo hujus Univerſi theatro verſari. Non indulgebo diutius his utut juſtisſimis querelis; (ſiquidem dolendo rebus his perditisſimis parum conſulitur) ſed paucis ſaltem exemplis oſtendere annitar, qua ratione Divina Conditoris *Omnipræſentia*, *Veritas* & *Unitas* ex contemplatione rerum ab ipſo conditarum undique reluceat. Deum eſſe *Omnipræſentem*, nullibi incluſum, nec ullibi excluſum, omnes quidem, qui non omnem humanitatis ſpeciem exuerunt, fatentur. Verum enimvero in ore, non in corde natam eſſe hanc confesſionem, acta & geſta eorum teſtantur: quippe quæ ad oculum demonſtrant, quod plerique ſine Deo, atque ut *D. Paulus* loquitur, ἄθεοι in mundo hoc vivant. Quisquis autem perennem illam ipſarum rerum viſibilium ſuſtentationem, ac jugem virium reſtau-

rationem paulo attentius conſideraverit, juxta effatum *Salvatoris* noſtri: *Pater meus hactenus operatur, & Ego operor*, vix ſibi temperare poterit, quin cum *D. Paulo* exclamet: *Deus non longe abeſt ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus & movemur & ſumus*, aut primis Eccleſiæ primævæ Doctoribus ſuffragetur, qui dicere ſolebant; *neminem ſibimet ipſi tam propinquum & intime præſentem eſſe, quam Deum omnibus ſuis creaturis. Veritatem* Divinam pauci quidem palam in dubium vocare audent; ſed ex animo eidem aſſentiri, inniti, imo immori quid rarius, quid corruptæ noſtræ naturæ magis adverſum eſt? Neſcio vero, an argumentum ſuppetat magis evidens & ἀμετάπτωτον, quam Operum Divinorum *vera* ac *realis exiſtentia*, quam etiam *Pſalmiſta* urget, dum canit: *Omnia Opera manuum Ejus ſunt Veritas*, Veritas inquam, non glaucoma. Quod denique *Unitatem* Divinæ Eſſentiæ attinet, nihil equidem magis ei repugnare videtur, quam tanta & propemodum infinita rerum creatarum diverſitas: adeo, ut ratio ſibi relicta, tot innumeras & toto, ut ajunt, cœlo diſcrepantes rerum ſpecies contemplata, & inde quadam veluti vertigine correpta, duplex rerum principium bonum ac malum commenta fuerit. Quotquot vero non in ſolo cortice & qualitatum ſenſibilium, ſcil. colorum, odorum, ſaporum &c. diverſitate hærent; ſed intima corporum naturalium penetralia paulo penitius ſcrutantur, illi cum *Baſilico Valentino* τὸ *Unum in Omnibus* conſpicientes, univerſum hujus mundi ſyſtema circulum eſſe fateri coguntur, cujus radii ſint innumeri, centrum vero unicum. Et ſi vel maxime aliud hujus aſſerti documentum non ſupereſſet, ſatis luculenter tamen illud ipſum exinde demonſtrari poſſet, quod ultima rerum omnium analyſis productum ſiſtat *uniforme*, nempe *ſalinum*. Certe enim miraculum videri poſſet, niſi operatione ſimpliciſſima totum abſolveretur artificium, tam late patentis Regni Vegetabilis ſpecies propemodum innumeras, tam ingentem Animalium diverſiſſimorum numerum, ſola combuſtione vel putrefactione ſpontanea in naturam *ſalis* redigere.

De

De *Metallis* ſaltem, præcipue vero nobilioribus, *Auro & Argento* nec non *Mercurio vivo*, hactenus dubitatum fuit; imo ex iisdem absque menſtruorum corrodentium acceſſu *Sal* genuinum elici poſſe, rotunde negarunt quamplurimi, a qua ſententia nec celeberrimus *Rolfinckius*, nec *Conringius* alienus fuit. Licet vero mota ab his dubia non deſtituantur rationibus ſatis ſpecioſis: experientia tamen a partibus id ipſum affirmantium ſtare deprehenditur; quin ipſemet ad propriam autopſiam audacter hic provocare poſſum. Quod ſi itaque una fida experientia plus valet, quam mille rationes; quod ſi unus teſtis oculatus decem aliis præferendus eſt: non vitio mihi verſum iri confido, quod experimenta, propriis hactenus manibus in hoc negotio perpetrata, luci publicæ jam ſiſtere non dubitem. Faxit vero Vitæ pariter ac Veritatis Fons & Autor unicus, ut conatus hi ſcopum, ad quem cuncta noſtra cœpta referri fas eſt, imo cujus gratia noſmet ipſi ſumus conditi, aſſequantur!

CAP. I.

DE USU SALIUM POLYCHRESTO.

§. I.

SAl non ſolum apud *Judæos*, Divini Spiritus afflatu & per peculiarem revelationem meliora edoctos, ſed apud ipſos quoque *Gentiles* maximis fuit in honoribus. Hinc fortaſſe veterum ſapientum effatum, *in Sale & Sole eſſe omnia*, ſuam traxit originem. Præcipue vero *Sal* ſymbolum *Sapientiæ*, *Excellentiæ*, *Æternitatis* & *Salubritatis* fuit habitum. Inde enim procul dubio fluxit illa loquendi formula, qua homo imprudens ac ineptus *inſulſus* appellatur. Nec Germani noſtri hanc phraſin

 ignorant,

ignorant, dum hominem minus ingenioſum & imbecillis judicii notaturi dicunt: Es ſey ein abgeſchmackter Kerl, abgeſchmackt Zeug. Quid vero hoc eſt aliud, niſi inſulſum, ſcil. quod ſapore & ſale caſſum eſt? Tandem eo progreſſa eſt loquendi libertas, ut ipſam *Sapientiam Salem*, & *verba arguta Sales* vocarent. Hinc v. g. *Terentius* de homine, inſignis ſapientiæ ſpeciem præ ſe ferente, hac utitur Ironia: *qui habet Salem, qui in te eſt.* Quin ſummus veræ ſapientiæ Doctor, *Servator noſter*, inculcat ipſe diſcipulis ſuis hoc præceptum: *Habete in vobis ipſis Salem. Marc. 9, 50.*

§. 2. *Excellentiæ* ſignum *Sal* eſſe, vel ipſe docet Græcorum Poëtarum Princeps *Homerus*, quem Divinarum pariter ac humanarum rerum profundisſima cognitione inſtructum fuiſſe, omnes unanimi conſenſu pronunciant, dum *Sali Divinitatis* epitheton tribuit *Iliad. 1. v. 214.* canens:

πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο.

Et quid quæſo aliud intendit Lex Divina, qua ſevere ſancitum legimus *Levit. 2, 13. Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec aufferes Sal fœderis Dei de ſacrificio tuo. In omni ſacrificio offeres Sal.* Id quod etiam in *Novo Fœdere Marc. 9. 30.* repetitur. Hac ipſa enim aſperſione ſalis nihil indigitabatur aliud, quam quod iſta oblatio jam a vulgari uſu ſeparata, & Domino conſecrata ſit. Quo etiam Servator noſter reſpexiſſe videtur, diſcipulos ſuos *Matth. 5, 13.* his compellans verbis: *Vos eſtis Sal terræ.*

§. 3. *Æternitatis* notam *Sali* tribuit ipſe Spiritus Divini ſtylus, qui pasſim in S. codice pactum aut ſtatutum perpetuum ac inviolabile indigitaturus, *Pactum* & *Statutum Salis* vocare non dubitat. Sic *Num. 18, 19.* ſtatutum, quo primitiæ Aaroni ejusque poſteris aſſeruntur, *Pactum ſalis* perpetuum appellatur. Et *2 Paralipom. 13, 5. Abijah*, perpetuitatem regni Davidis divinitus promiſſam oſtenſurus, ideoque decem tribubus illegitimam a Domo Davidis defectionem exprobraturus, eas ita alloquitur: *Nonne veſtra intererat ſcire, quod Jehovah Deus Israelis*

raelis dedit regnum Davidi ſuper Iſraelem in ſeculum, illi & filiis ejus pacto ſalis? Quodnam vero illuſtrius huius rei ſpecimen poſſet produci, quam quod res creatæ tantum non omnes, dum interire & penitus deſtrui nobis videntur, *Sal* denique exhibeant, corruptionis & interitus expers. Hinc etiam *Sal* a nonnullis proximum animæ vegetativæ domicilium & habitaculum fuit creditum; quin totum artificium παλιγγενεσίας corporum naturalium huic principio inniti haud improbabile videtur.

§. 4. *Salubritatis* ſymbolum *Sali* competere, ipſo opere demonſtravit *Eliſæus*, qui mortiferas Hierichuntis aquas *Sale* injecto ſanaſſe & ſalubres reddidiſſe legitur *2. Reg. 2, 21.* Neque ſymbolum tantummodo ſalubritatis *Sal* gerere, ſed ipſo effectu hanc præſtare, tota *Medentium* cohors teſtatur, qui, quam late in arte medica pateat uſus *Salium*, quotidianis deprehendunt experimentis.

§. 5. Gaudent enim *Salia* præ cæteris medicamentis oleoſis & ſpirituoſis hac præcipue prærogativa, ut ſatis valide quidem reſolvant, abſtergant, eliquent, attenuent; nunquam tamen tantum, quantum iſta, orgaſmum ſanguini inferant: adeo ut ipſa quoq; ſalia volatilia urinoſa, ab oleo ſuo empyrevmatico ſollicite liberata, & cum ſale alcalico fixo v. g. Tinctura ſalis tartari, vel Tinctura Antimonii bene cauſtica ſociata, in variis hæmorrhagiis tam curative quam præſervative laudabilem navent operam. Conf. *Excell. Dn. D. Hoffmanni, jam Archiatri Reg. Boruſſ. Diſſ. de Hæmorrhag. p. 12.* nec non *Excell. ac Celeb. Dn. D. Stahlii, P. P. Hallenſis, Patroni ac Præceptoris mei ad cineres usque colendi, Diſſert. de Hæmoptyſi Periodica* §. *37.* it. *de Novitat. Medic.* §. *44.*

§. 6. Hinc in cura febrium, præcipue intermittentium, ſalina digeſtiva & abſtergentia utramque faciunt paginam: adeo, ut *Celeberr. Sylvii* effatum, *ſe nolle Medicum eſſe, ſi Opii uſus ſibi interdictus foret*, rectius huc trahi poſſet, aſſerendo, curam Febrium absque *Salium* ſubſidio vix quemquam poſſe

 aggredi,

aggredi, nedum ex voto abſolvere. Equidem non ignoro, proſtare etiam ex Regno vegetabili quædam ſimplicia acriuſcula, v. g. rad. ari, pimpin. zingib. ipſumque piper, quæ ſalium digeſtivorum vices ſupplere poſſe nonnullis cenſentur. Neque etiam illa plane rejicula aut contemnenda videntur. At vero eadem ſalibus digeſtivis æquiparanda, nedum præferenda eſſe, vehementer addubito, idque duplici ſuffultus ratione. Primo enim vegetabilia iſta ob molem notabilem, qua aſſumenda ſunt, ſi effectus deſideratus inde obtineri debeat, longe ſunt ingratiora. Adhæc fovent ſub acrimonia ſua partes etiam ſulphureas volatiles, quæ ſubjectis ſiccioribus & tenerioribus facile æſtum præternaturalem poſſunt inducere. Proinde *Paracelſum* ob ſalium uſum, in Medicinam & præſertim in curationem Febrium introductum, non immerito laudat *Borrichius de Hermet. Egypt. & Chemic. Sapient. Lib. II. c. 5. §. 7. p. 348. Si nullo alio*, inquiens, *beneficio poſteritatem ſibi devinxiſſet Germanus ille Theophraſtus, vel uno hoc nomine meruiſſet hecatomben. Quod enim prope infinitæ febrium intermittentium catervæ noſtro hoc ſeculo feliciter coerceantur, Paracelſi ſalibus lixivis præcipue acceptum referimus, tacente hanc medicationem univerſa, quantum conſtat, antiquitate.* Et paulo poſt *p. 349. Neque univerſi hactenus Paracelſi hoſtes tanto ſibi munere obſtrinxerunt tum ægros tum medentes, quanto ille, propagata vel ad febres duntaxat ſalium plantarum hiſtoria.* Adſtipulatur his ſuffragium *Dn. D. Petermanni, Prof. quondam Lipſienſis celeberrimi*, qui in *Manuduct. ad Prax. Med. c. 7. §. 14. pag. 102.* itidem diſerte aſſerit, *Vix inveniri poſſe methodum perfectiorem & expeditiorem in febribus curandis Barbettiana, quæ tota fundatur in uſurpatione ſalium.* Imo poſſem hic allegare propriam experientiam & *Pulverem antifebrilem*, efficaciam ſuam non aliunde niſi a *ſalibus* mutuantem, quem raro ſpem deſtituiſſe, & ſæpe unica doſi febrem profligaſſe, ac ſine recidiva aut alio graviore incommodo ſuſtuliſſe memini; niſi jam alius mihi ſcopus præfixus eſſet.

§. 7. Quam-

§. 7. Quamvis autem modo laudata ſalia lixiva ſive alcalica in cura febrium intermittentium, in aqua hydropicorum per urinam exturbanda, in obſtructionibus glandularum reſerandis, in ſegnitie alvi corrigenda ſatis eximiam præſtent operam, adeo ut acerrimus ille Medicorum & medicationum vulgarium cenſor, *Gedeon Harvæus*, nudam ſolutionem ſalis tartari, per ſpiritum vini phlegmaticum factam, multis aliis ſpecioſis & laborioſis præparatis ac compoſitis præferat: attamen cum pleraque horum aliquali cauſticitate & notabili acrimonia polleant, adeoque ſubjectis ſiccioribus & tenerioribus, præſertim jejuno ventriculo oblata, moleſtum interdum ardoris ſenſum, cardialgiam, quin vomitum proritare ſoleant; illa in tantum ſaturata, atque in ſalia media ſive enixa redacta, aut ad minimum hiſce juncta, adhibere præſtiterit.

§. 8. Multi equidem maculam hanc univerſæ *Salium* familiæ inurunt, eadem acrimoniæ, qua nervis & partibus tenerioribus inimica eſſent, inſimulantes: aſt invita veritate, & contra experientiam. Nonne enim *Sydenhamius* ileum periculoſiſſimum *ſale abſinthii*, cum ſucco limonum exhibito, feliciter compeſcuit? *Muraltus*, aut quisquis autor eſt *Chirurgiæ Militaris Compendioſæ*, *Opuſculis Chirurgicis ejusdem annexæ*, *p. 753. ſolutionem cinerum clavellatorum*, vel aliud *lixivium purius* in ipſa dyſenteria exhibere non reformidat, id quod etiam multoties feliciter ceſſiſſe a teſtibus fide dignis habeo. *Pulverem Konerdingianum Antiphthiſicum* præter *Nitrum* etiam *Sal Ammoniacum* in ſatis notabili quantitate ingredi, docet *Ettmüller. Opp. P. 1. p. 287.* Fluxum hæmorrhoidum nimium, pertinacem & valde debilitantem, poſt varia alia incaſſum tentata remedia, per ſolum *liquorem terræ foliatæ tartari*, potui ordinario inſtillatum, ſatis prompte & ſine alio graviore incommodo mitigatum novi.

§. 9. *Nitri* efficaciam, in hæmorrhagiis & motibus ſanguinis hæmorrhagicis ſedandis plane eximiam, jam agnovit *Riverius Cent. 1. Obſ. 94.* it. *Dan. Crugerus*, *Phyſicus Colbergenſis*,

in

in Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 5. Obſ. 24. Conf *Hiſtor. Morborum Vratislaviæ Ann. 1699. graſſatorum, p. 24.* Adeo ut pari, imo majori jure elogia iſta, quæ *Borrichius Paracelſo*, ob uſum ſalium in febribus curandis commonſtratum tribuit, illis aſſerenda veniant, qui hæmorrhagias periculoſisſimas ſine ulla noxa graviore per *Nitrum* docuerunt compeſcere: quo nomine quantum *Excell. Dn. Stahlius, in Academia Fridericiana Prof. Celeberr.* Univerſam ægrotantium pariter ac Medentium familiam ſibi devinxerit, ſeri adhuc celebrabunt poſteri. Imo, quicquid etiam nonnulli de inſidioſa *Nitri* acrimonia, aut ejusdem vi ſtimulandi, alvumque irritandi ſatis audacter obſtrepant; nihil æque feliciter diarrhœas, ſæpe non absque inſigni periculo petechizantibus & variolantibus evenientes, ſublevat & moderatur, quam doſis refracta *Nitri*, cum aliquo abſorbente & momento Antimonii diaphoretici ſociati, teſte *Excell. Stahlio in Obſervat. Chymico-Phyſica Medic. Menſ. Mart. p. 471. ſeq.* & ſuffragante experientia quotidiana, ad quam tanto confidentius hic provocare licet, quo plura hujus rei ſpecimina de *Pulvere noſtro Bezoardico*, quem *Nitrum* quoque ingreditur, comperta habemus, cujus una cum altero *Pulvere Antiſpamodico* dicto, pariterque *nitrato*, tanta quotannis in pharmacopolio Orphanotrophæi Hallenſis diſtrahitur copia, ut non libris, ſed centenariis metienda foret. Choleras anxias & febres choleriodes, a bile in inteſtinum duodenum copioſius effuſa, aut plane in ventriculum regurgitante, ibique cum aſſumptis fermenteſcentibus acerrimæ corruptionis ſpeciem ſubeunte, pendentes, tantum abeſt ut *Nitrum* exaſperet, ut potius vix aliud magis tutum & præſentaneum remedium hactenus innotuerit. Ardorem urinæ & ſpaſmos dolorificos urethræ, qui utplurimum gonorrhœam virulentam comitantur, *Nitrum* præſentiſſime ſopire & delinire, teſtatur *Joſeph. Lanzonus, Med. & Prof. Ferrarienſis*, in pererudito diſcurſu de *Euporiſtis*, quem *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. Ann. 2. Obſ. 35.* adjecit, cujus verba digna videntur, quæ hic legantur integra: *Quis unquam crederet*, inquit,

inquit, *ex fœtidis excrementis arcana poſſe comparari, ad graviſſimas ægritudines debellandas præſtantiſſima? In horum cenſum referam, quod ipſe expertus ſum de Nitro noſtro vulgari, quod colligitur ex fimo equino cæterisque recrementis in putrefactionem tendentibus, ſi hoc in cryſtallum redactum & in pulverem tritum ad gr. x. vel xx. ſingulis vicibus cum liquore conveniente febrientibus exhibeatur, jejuno ſtomacho & ante futuram acceſsionem; febres ſenſim moderatur, & tandem delet. In pluribus febre tertiana diuturniore laborantibus experiri licuit, maximo cum fructu etiam cum pulvere Caffee & aqua Cardui Benedicti datum. Aſt efficacius eſt illud, quod colligitur ex iteratis ablutionibus Stibii diaphoretici. Quod ſi cum alterutro pari doſi commiſceas Antimonium ipſum diaphoreticum, longe efficacius remedium nanciſceris, quod ad gonorrhœam Gallicam, affectus renum & veſicæ, icterum, ſitim, ſtomachi ardorem, ſimilesque ægritudines miram opem præſtare conſuevit. Inſuper me per literas commonefecit Excell. Dn. D. Lucas Tozzius, Medicus inſignis Neapolitanus, ſe nonnunquam catharcticis illud miſcuiſſe, indeque evacuationem blandam ac felicem, ſine ſtomachi faſtidio, aut ventris moleſtia ſecutam.*

§. 10. Auſim igitur propemodum aſſerere, vix ullum fore Medicum, qui *Tartari Vitriolati*, *Arcani Duplicati*, *Lapidis Prunellæ*, *Nitri Antimoniati*, *Cryſtallorum Tartari*, *Tartari Tartariſati*, *liquoris Terræ foliatæ Tartari*, *Tinctura Tartari*, aut horum ſimilium *Salinorum* uſu in Praxi ſua ſe carere poſſe aſſeverare ſuſtineat: cum non deſint, qui ſine *V. Sbus*, *Scarificationibus*, *Purgantibus*, *Emeticis*, *Clyſteribus &c.* artem medicam æque felicem futuram exiſtiment, imo ſcriptis quoque publicis propugnare non dubitent.

CAP. II.
DE
SALIBUS METALLORUM
IN GENERE.

§. 1.

METalla, præſertim vero nobiliora, mixtione gaudent firmiſſima præ omnibus corporibus naturalibus, ita ut durabilitate & Animalia & Vegetabilia longe ſuperent; quippe quæ ſponte ſua in corruptionem & diſſolutionem plenariam præcipiti gradu ſolent ruere. Hinc diu dubitatum fuit, an omnino Metalla nobiliora uſum aliquem medicamentoſum habeant. Et ſane niſi arctiſſima illorum repagula ita referentur, ut quodammodo evadant ſolubilia, vix poterunt eadem dotes inſitas rite explicare.

§. 2. Hoc ut effectum darent, varii varias tentaverunt vias. Plerisque veterum ſufficiebat, Aurum & Argentum in tenuiſſimas bracteolas extenuatum & diductum, ſive foliatum, ut vocant, uſurpaſſe, idque pulveribus. electuariis, potiunculis admiſcuiſſe. Verum, ſi dicendum, quod res eſt, videntur magis ornatum & gratiam, quam alicujus probabilis efficaciæ acceſſum medicamentis ſuis hoc ipſo conciliaſſe. Nec video, an propius ſcopum feriat, qui Aurum foliatum cum ſaliva terere, atque hac enchireſi uſibus medicis magis aptare nuper docuit. Plus effici poſſe crediderim, ſi tritura iſta ad aliquot ſeptimanas, imo per menſem integrum methodo Langellottiana continuaretur, cujus ope Aurum tandum in pulverem nigricantem faceſſere ſolet, qui per retortulam igne arenæ intenſiori in oleum rubicundum deſtillari poſſe traditur. Vid. *Langellotti Epiſtola, de Quibusdam in Chymia Omiſſis, Ephem. Nat. Cur.*

Cur. Dec. 1. Ann. 3. obſ. 59. inſerta, it *Borrichius de Hermet. Ægypt. & Chemic. Sapient. L. 11. c. 7. p. 415.* nec non *Joh. Prævotius in Faſcicul. Remed. Select. p. 139.* Quantum famoſus ille Chymicus Italus *Franc. Joſeph. Burrhi* ſoli extinctioni Auri candentis reiteratæ, in aqua ſimplici vel aliqua deſtillata factæ, tribuerit, notum eſt. Licet autem hoc aſſertum lenita fabella videri poſſet; non omni tamen veritatis ſpecie deſtitui, patet ex ſimili tractatione Mercurii currentis, qui aquæ vel cereviſiæ infuſus aut incoctus, notabilem vim medicamentoſam his liquoribus communicat, cum exiguo, imo ut nonnulli ſpondere audent, nullo ponderis decremento. Itaque circumſpectæ potius experientiæ totum iſtud negotium committendum eſt. Alii Amalgamationem mercurialem, ſubjunctamque Calcinationem cum Sulphure in ſubſidium vocarunt, Aurumque hoc modo ſatis recludi crediderunt, ut poſtmodum cum Ambra & Saccharo permixtum, non ſolum ſine damno, ſed & cum inſigni emolumento propinari poſſet: qua methodo Medicamentum illud, quod ſub titulo des Zelliſchen Gold-Pulvers famam haut exiguam adeptum eſt, parari aſſerit *Beckerus, Pharmacopæus Haffnienſis, in* Schediaſmate, *de Uſu & Abuſu Cinnabaris Nativæ* nuper edito. Alii denique ne ipſis quidem *acidis Menſtruis* pepercerunt, Aurum fulminans in Spiritu Salis, cum Oleo Vitrioli deſtillato, ſolvendo, hancque ſolutionem guttatim in vehiculo largiori exhibendo. Pertinet ad hunc cenſum *Aurum* illud *Potabile*, cujus præco extitit *Autor Tract. ſub titulo,* Mediciniſche Univerſal-Sonne, *ante pauculos annos Hamburgi editi.*

§. 3. Num admittenda ſit hæc methodus, adverſis dimicari ſolet ſententiis. Ipſum *Paracelſum* non omnino eandem abhorruiſſe, propemodum perſuadent ea, quæ *Archidox. L. IV. de Quint. Eſſent. p. 797.* ſcribit his verbis: Es iſt ſchwerlich und faſt ungläublich, die Quintam Eſſentiam auszuziehen ohne Corroſiv aus den Metallen, als voraus vom Golde, das nicht mag gemeiſtert werden, es habe denn an

 ihm

ihm ein Corroſiv, durch das die Quinta Eſſentia und der Leib von einander geſchieden werde. It. *de V.ta Longa L.3.c.3. p.850.* denuo ait: In dem Elixir des Goldes wird der Proceß und Practick in dermaßen verſtanden. Anfänglich daß das Gold mit aller ſeiner Subſtantz durch die gewaltigſten Corroſiven reſolvirt werde demſelben Corroſive gleich. Und ſcheue niemand dieſen Proceß. Denn das Corroſiv iſt mehr denn das Gold an ihm ſelbſt, da wird verſtanden, daß das Gold ohn Corroſiv keine Wirckung vollbringen mag: darum wir die Quintam Eſſentiam Auri ohn Corroſiv für nichtig werth ſeyn ſetzen. Auff das folgt, daß die Reſolution wieder hindan putrificirt ſoll werden. Aber iedoch wie dem iſt, ſo wird doch das rechte Corroſiv nicht hinweg genommen, das iſt recht, und ſoll ſeyn. Denn Urſach, vermag das Gold den Leib unzerbrechlich behalten, noch vielmehr vermags ſich ſelbſt zu behalten ohn Vergifftung. Denn es corrigirt anfänglich in ihm ſelbſt, was nicht gerecht iſt. Darum das Corroſiv im Golde kein Corroſiv genannt ſoll werden. Denn die arcaniſche Krafft übertrifft ein iegliches Gifft. Denn ein ieglicher Realgar ſtirbt im Elixir Auri, und wird ſelbſt eine Tinctur und mehr dann eine Medicin. Alibi tamen v. g. *Archidox. L. 6. p. 809.* repudiat Corroſiva, de Magiſteriis Metallorum l. c. ita diſſerens: Am erſten wollen wir die Magiſteria Metallorum zu erkennen geben, die dann mit viel ſeltſamer Tugend ſich erzeigen nach Innhalt dieſer Eſſentien. Und iſt zu verſtehen, daß ihr Proceß am erſten ſoll geſchehen ohn alle Corroſiv, darnach ohn alle andere Stücke, die wider den Metallen complexionirt ſind. Denn aus ſolcher zwiefacher widerwärtiger Zuſammenſetzung werden die Eſſentien corrumpirt.

§. 4. Et hoc potiſſimum argumento utuntur illi, qui omnia *Acida* in reſolutione Metallorum, eorundemque ad uſus medicos præparatione reprobant, imo cane pejus & angue fugiunt. Ajunt enim, Acida quævis Metallis eſſe inimica, neque a natura metallica aliena, ideoque diſcerpere

faltem

ſaltem Metalla, imo corrumpere eadem, non vero ſuaviter ac intime reſolvere. Verum enimvero omnes hæ rationes nondum rem conficiunt, nec evincunt id, quod demonſtrare debebant. Acida enim non adeo Metallis inimica, neque ab illorum indole aliena & peregrina eſſe, luculentisſime apparet exinde, quod Mineræ metallicæ tantum non omnes, aliquid Sulphurei vel Spiritus acidi in ſinu ſuo occultent, quin actu tale ſtagma acidulum fundant, ſi in ſubtilem pulverem redactæ, ex retorta vitrea calore balnei fervidioris deſtillentur: qua methodo ex omnibus Mineris aliquid Spiritus aciduli ſeſe obtinuiſſe, teſtatur *Borrichius de Hermet. Ægypt. & Chemnic. Sapient. L. 11. c. 7. §. 7. p. 414.*

§. 5. Ad hæc in eo quoque a vero aberrare videntur, quod *Acidis*, nullo habito diſcrimine, omnibus corroſivitatis dicam ſcribant. Non enim Acida *ut acida* hic accuſanda ſunt, quippe quæ nonniſi in forma valde concentrata, & dilutionis experte, vim corroſivam exſerunt, ſtatim pereunte, & in momento veluti elangueſcente, cauſtica iſta indole, ſi ſufficiens aquæ ſimplicis copia iis fuerit addita. Neque *Alcalia* in ſimili ſtatu, concentratiori indemnia fore, aut a reatu corroſivitatis abſolvi poſſe, facile concedet is, qui Tincturam, ut vocant, Metallorum, aut Tincturam Antimonii, ex ſcoriis Reguli ſuccineis paratam, ſine vehiculo aſſumere auderet.

§. 6. Longe alio proinde ex fonte petenda eſt ratio, ob quam *Acida* pro Metallis reſolvendis uſuique medico adaptandis, minus commoda exiſtant Menſtrua. Videlicet abeunt *Acida*, cum Metallis ſociata, in *Vitriolum*, *virtute* plus minus *ſtyptica*, & ſimul *ſeptica acrimonia* haud ſegniori inſtructum, adeoque duplici nomine corpori humano adverſum. Exempli loco eſſe poterunt *Cryſtalli Lunares*, per Spiritum Nitri paratæ, quarum vis cauſtica & cathæretica ſub titulo des Silber-Corroſivs etiam Chirurgis innotuit, & hactenus non infeliciter, quod ad hunc ſcopum attinet, in uſum

trahi cœpit. Neque ipſum *Vitriolum Solare* ab hoc reatu plane abſolvi poteſt. Siquidem ejus ſolutio, ad paucas guttulas cochleari argenteo, vel ex alio metallo fabrefacto, inſtillata, protinus ſtigma nigricans illi imprimit; quin etiam intra corpus exhibita, præſertim ſubjectis paulo ſenſibilioribus, ἄνω καὶ κάτω corpus turbat. In *Vitriolo Venereo* & quibuslibet *Mercurii* ſolutionibus, per Menſtrua acida peractis, acrimonia iſta ſeptica adhuc magis emicat: Ita ut propemodum ad Venenorum familiam pertinere videantur. Utut vero ſeptica hæc virulentia non æque *Vitriolum Martis*, & *Plumbi*, (quod uſitato *Sacchari Saturni* nomine venire ſolet) comitetur; tanto major tamen in iis, præcipue vero in poſteriori hoc prædominatur vis ſtyptica, quippe quæ tanta eſt in *Sacchari Saturni*, ut vix tuto illud interne propinare liceat, absque proſtratione appetitus præſentiſſima, atque obſtipatione alvi non minus periculoſa.

§. 7. Omnem igitur movit lapidem indefeſſa Chymicorum ſolertia, ut alias inveniret claves, per quas firmiſſima Metallorum clauſtra reſerare, dotesque in iis reconditas expromere valeret. Diu tamen littus araſſe videbantur, quin aquam e pumice petere, qui duriſſima corpora metallica absque violentia diffringere, ſine Menſtruorum corroſivorum ſubſidio emollire, imo circa Acidorum acceſſorum reſolvere tentabant. Favit tamen conatibus hiſce fortuna, aut Divina potius, noſtrarum ærumnarum miſerta, Clementia: ita ut ſagax artificum induſtria tandem didicerit, Metalla etiam *mitiſſimis* imo pene *inſipidis* parere liquoribus. Ita v. g. *Borrichius* per ſolum *Phlegma Aceti deſtillati*, imo per ſimplicem *Aquam deſtillatam* ex omnibus Metallis, cum Mercurio in Amalgama molliuſculum redactis, interveniente tritura paulo diuturniore vera ac genuina *Salia* elicere docuit. Atque methodo hac ſimplicisſima ex ipſo Auro Tincturam paravit viridiuſculam, quæ poſtmodum in patulo vitro aliquandiu æſtivo tempore relicta, exhalante ſenſim liquore, in Salem hinc inde ſubviridem abiit, verſavit-

que

que ſe interea in vitro miris modis, deorſum quidem corporeos radios ſpargens, ſed longos & tenuiſſimos, orientis ſolis radiis non diſſimiles, niſi quod inalbeſcerent, ſurſum autem virides exporrigens ramos graminei coloris; quod ſpectaculum jucundiſſimum non ſolum plurimis curioſis Hoſpitibus, ſed & Regi Daniæ tum oſtenſum, omnibus recreationi & admirationi fuiſſe, ſcribit laudatus Autor de *Hermet. Ægypt. & Chemic. Sapient. L. II. c. 2. §. 6. p. 306. it. c. 7. §. 5. p. 409——412.*

§. 8. Hoc unum tamen minuit pulcherrimi inventi pretium, quod methodus hæc admodum laborioſa exiſtat, nimisque parco Salis, hac via eliciendi, proventu laborem redimat, adeoque licet veritate phyſica non deſtituatur, utilitate tamen medica propemodum careat. Hinc alii alias vias circumſpicientes, in *ignem reverberii*, veteribus tantopere æſtimatum, defixerunt oculos, neque id invita Natura. Tantum enim, quantum inexperti vix crediderint, hoc ipſo, præprimis debito ignis gradu decenter obſervato, effici poſſe, teſtatur exercitatiſſimus in hac palæſtra Roſcius, *Joh. Kunckelius*, *in Obſerv. Chym. P. II. c. 7. p. 88.* diſerte aſſerens: Gold und Silber laſſen ihnen durch einen ſimplen Fluß nichts abgewinnen, welches mit der Gelindigkeit in wenig Wochen geſchehen kan. Cui aſſerto ſuum quoque calculum adjicit *Excell. Dn. D. Stahlius*, *Patronus ac Præceptor meus*, *nunquam ſine ſubmiſſa mentis veneratione nominandus*, *in Obſerv. Chymico Phyſico-Medicis*, *Menſ. April. p. 395. 499.* Verum cum *Salia*, hac methodo ex Metallis prolecta, plerumque alii, quam medico uſui ab inventoribus ſuis deſtinata fuerint, ipſa etiam præparatio, ingenue hoc fatente ipſo *Kunckelio in Obſerv. Chym. P. I. c. 4.* tædii & laboris ſit pleniſſima, & vix ſine furni vitrarii ſubſidio in actum deduci queat; nondum in illa acquieſcere potuerunt Medentium deſideria.

§. 9. Denuo igitur de *Menſtruo* ſolliciti fuerunt, quod ea quidem penetrandi virtute inſtructum eſſet, ut compacta metallorum corpora emolliret & ſolubilia redderet, nullo autem modo ingratum ſaporem vitriolicum, aut efficaciam ſtypticam vel

ſepticam,

ſepticam, Metallis ſolutis affricaret. Quo obtento ad metam præfixam tandem adſpiraturos, & nobiliſſimis fixiorum Metallorum dotibus, tantopere a priſtinis Chymicis decantatis, ſeſe fruituros eſſe, planiſſime confidebant. Nec deſtituit ſpes conceptas eventus exoptatiſſimus. Quantum enim *Auro* ſuo *Potabili*, hac methodo elaborato, præſtiterit *Franc. Antonius Londinenſis*, non ſolum exempla quamplurima curationum inſignium hoc ipſo perpetratarum, in *Apologia ſui Auri Potabilis Hamburgi edita*, non exiguo numero allata, oſtendunt; ſed aliorum quoque fide digniſſimorum Scriptorum teſtimonia comprobant v. g. *Borrichii*, qui in *Tract. ſæpius laudato, de Hermet, Ægypt. & Chemic. Sapient. L. II. c. I. §. 13. p. 294.* illud *Aurum Potabile, pharmacum infinitis prope hominibus utiliſſimum*, ſalutare nullus dubitavit.

§. 10. Et niſi verendum foret, ne meum veluti teſtis domeſtici aſſertum; plerisque ſuſpectum, atque a ſtudio partium profectum videri poſſet, allegarem hic noſtram *Eſſentiam Dulcem*, hactenus in Pharmacopolio Orphanotrophæi Hallenſis parari, & cum innumerorum ægrotantium emolumento diſpenſari ſolitam. Interim cum veritas, a quocunque etiam proferatur, maneat nihilominus veritas, mihi quoque licebit eandem ſimpliciter hic eloqui. Et poſſum ſane intrepide, quod ad *præparationem* ejus attinet, cum ipſemet eidem non ſolum adeſſe, ſed propriis illam manibus peragere ſolitus fuerim, ſalva veritate, imo coram Deo Omniſcio teſtari atque aſſerere; *Eſſentiam hanc Dulcem* nihil eſſe aliud, quam *Aurum purgatiſſimum*, *Menſtruo ejusmodi blando omnisque corroſivitatis experte*, *reſolutum.* De ipſius vero *effectu medico*, quo certe in morbis quam plurimis plane conclamatis dotes ſuas eximias exſeruit, atque ſub Divina benedictione aliquot millibus ægrotantium levamen ac ſolamen attulit, quin famam, quam ſtatim ſub initium meruerat, per integrum novennium ſuſtinuit, præſtiterit ipſos ægros reſtitutos audire. Imo poſſem hic *aliam* inſuper *methodum* allegare, compactiſſimum *Auri* corpus blando ejusmodi artificio, &

ſine

ſine corrodentium liquorum ſubſidio, ita intime reſolvendi ac ſubtiliſandi, *ut alembicum quoque transſcendat*, quam nobis Divina Clementia ac infinita Bonitas, poſt varios in hoc negotio exantlatos labores, patefacere dignata fuit. Sed dabitur forſan alibi commodior hac de re fuſius agendi occaſio.

§. 11. Quæ cum ita ſint, ut totum *Auri corpus*, ſi tantummodo methodo Naturæ amica reſolutum fuerit, tam egregios in medendo effectus edat: quis dubitet, quo minus *Sal* ex eo *ipſo* vel Metallis puritate illi quam proxime accedentibus, *Argento* ſcil. & *Mercurio* paratum, atque ad debitum puritatis gradum evectum, adhuc nobiliores vires exhibiturum ſit. Sed quid opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt?

CAP III.

DE SALE AURI ET MERCURII IN SPECIE.

§. 1.

AUrum & *Mercurium* quod primo inter Metalla loco in ſcenam producam, non opus fore exiſtimo, ut prolixioribus excuſem rationibus. Dudum enim cauſam hanc perorarunt Artis chymiatricæ Antiſtites, uno ore principatum inter Metalla *Auro* aſſerentes, non ſolum ob ſummam ejus perfectionem, qua ignis etiam vehementiſſimi violentiam, & temporis omnia conſumentis edacitatem vincit; ſed maxime ob præſtantiſſimas, quibus excellit, dotes medicinales. *Mercurium* vero proxima ab hoc ſede ideo locare fas erit, quod gravitate, puritate, & quod caput rei eſt, virtute medicamentoſa illi propius accedat, adeoque non immerito ab *Erbinæo* von Brandau, non infimi ſubſellii Chymico, *Aurum immaturum* appellari ſoleat. Hinc in re, ſua jam luce, radiante operoſius demonſtranda non ero prolixior. Potius mearum nunc partium eſſe intelligo, ut ipſam horum *Salium præparationem*, quantum quidem non maledicti philoſophici metus, ſed reverentia, quam cuilibet veritati Divinitus conceſſæ debemus, permittit, exponam.

§. 2. Quod igitur *Menſtruum* attinet, ſancte teſtari poſſum, illud nec *acidum* eſſe, nec *corroſivitatis* leviſſimæ particeps, nec quicquam *pulverulenti* aut *fecum terreſtrium*, ſi per ſe digeſtioni com-

mittatur, deponere; multo minus per alembicum abſtractum vel veſtigium *Salis* in fundo cucurbitæ relinquere, ſed potius & volatilitate & puritate ad *Spiritum Vini rectificatiſſimum* quam proxime accedere.

§. 3. Nihilominus *Menſtruum* hoc ea pollet penetrandi vi, ut *Mercurio vivo*, vel *calci Solari* ſubtiliori affuſum, utrumque, obſtetricante imprimis congrua & paulo diuturniore digeſtione, intime reſolvat: ita ut *Mercurius*, abſtracto poſtmodum Menſtruo, ſi per aliquod temporis ſpatium ulteriori digeſtioni in balneo exponatur, & tandem per retortam deſtilletur; in *aqvam* limpidam ſive Spiritum pellucidum & *terram* tenerrimam valde poroſam, fixam tamen faceſſat. *Aurum* vero abit in *ſubſtantiam reſinoſam*, quæ tota in Spiritu Vini rectificatiſſimo diffluit. Qua proinde operatione *Iſaaci Hollandi* præceptis ſatisfit, qui *exteriora intro*, & *interiora extrorſum* jubet convertere.

§. 4. *Terræ* huic poroſæ, in quam *Mercurium* abire diximus, ſi Spiritus Vini rectificatiſſimus affunditur; promptiſſime ille, quod ſane mirum, *Sal*, quo *terra* hæc fœta erat, imbibit, ita ut *Sal* iſtud, intra paucorum dierum ſpatium ex Spiritu Vini denuo emergens, ad latera vitri veluti ſemet ſublimando, exſcendere cernatur. Quod ſi vero Spiritus Vini dicto modo imprægnatus decantatur, ac blanda deſtillatione abſtrahitur; remanet in fundo cucurbitæ *Sal* albiſſimum, ſapore admodum penetranti, odore non inamœno, ſui tamen generis & veluti ſubdulci præditum, tantæ in igne fixitatis, ut Auri ad inſtar omnem Vulcani tyrannidem ſpernat, atque in crucibulo aperto, ſumma ignis violentia, utut follibus intenſa, ſine ullo fumi veſtigio fundi queat, tantæ nihilominus penetrantiæ, ut omnia vaſa, quin etiam crucibulos duplices ſibi invicem impoſitos ferme in momento permeet.

§. 5. Hanc autem reſolutionem *Mercurii* non tantum eo nomine, niſi me fallunt omnia, in pretio habendam eſſe crediderim: quod analyſis iſta ſimpliciſſima naturam *Mercurii* tantopere hactenus controverſam parteſque, ex quibus componitur, conſtitutivas, *Aquam* puta & *Terram*; atque ex his enatum *Sal*, non tam ad oculum demonſtret, quam in ipſas veluti manus tradat. Verum etiam juxta rigoroſam Helmontii cenſuram, *Mercurium, quamdiu reviviſceret & ſalivationem moveret, non eſſe boni viri remedium*, dictatoria autoritate pro-

te pronunciantis, eandem aliis hucusque cognitis præparationibus anteponendam arbitror. Siquidem producta iſta, in quæ *Mercurius vivus* hac ipſa analyſi faceſſit, nec ſeparatim nec conjunctim tractata, priſtinam formam currentem recuperant; neque ulla Salivationis formido ab uſu eorum interno imminet. Inſerviunt potius depurationi Sanguinis & Lymphæ, adeoque in ulceribus antiquis cacoëthicis, in ſcabie & gonorrhœa maligna, in ipſo malo venereo opem ſpondent præſentiſſimam. Præcipue vero *Sal*, dicta methodo ex *Mercurio* paratum, quicquid corruptelæ in corpore ſubnatum, aut extrinſecus per contagium adſperſum eſt, per blandam catharſin aut diaphoreſin & diureſin eliminat, idque absque ulla virium deprædatione, ſine anxietate & inquietudine, ſed roborat potius ac reficit naturam, motusque anomalos longe ſecurius, quam Opiata, placide conſopit. Id quod variis ſpeciminibus & vivis, ut ajunt, exemplis adſtruere non operoſum foret: quorum unum vel alterum attuliſſe ſuffecerit.

§. 6. Fœmina *Lue Gallica* graviſſime obſeſſa, & puſtulis, cruſtis ac excreſcentiis venereis miſerrime defœdata, curam tam ſudatoriam, quam ſalivatoriam absque fructu experta, decoctis lignorum diu ſatis, ſed pariter incaſſum uſa, ac purgantibus fortioribus mirum in modum exercita, quin exhauſta, per uſum *Salis* hujus *Mercurialis* intra duas circiter ſeptimanas, ſine ullo graviore & moleſto ſymptomate, ſolis ſudoribus mane & veſperi contingentibus, quos plerumque aliquot ſedes cum ſumma euphoria ſequebantur, ex voto fuit perſanata: ita ut, licet poſt curam hanc abſolutam diu ſatis, inſtar ægrorum variolas expertorum, veſtigia puſtularum retineret, interjecto tamen aliquot menſium ſpatio, & fœdis iſtis cicatricibus evaneſcentibus, nitidam & floridam receperit faciem; imo, utut etiam ſana morboque venereo adhuc libera, nunquam fluxum menſtruum ſufficientem & ſatis ordinatum habuiſſet, jam eundem ordinatiſſimum & ſine ullis moleſtiis procedentem experiatur.

§. 7. Alia fœmina, *eodem* hoc *malo* nihilo mitius mulctata, quæ Medicorum æque ac Chirurgorum operas ultra ſequiannum fatigaverat, & ſalivationem iterata vice, ſed citra levamen experta fuerat, cui ulcus phagedænicum alterutram mammam propemodum totam abſumpſerat, imo etiam fauces & os palati eroſerat, ut potus cibusque aſſumpti per nares regurgitarent, pariter beneficio

hujus *Salis Mercurialis* ita fuit reſtituta, ut non ſolum mamma exulcerata, ſed etiam oſſa palati eroſa, ſine prolixo apparatu & ſubſidio Chirurgico, ſponte fere repurgarentur ac conſolidarentur; adeo ut vix diſcrimen aliquod læſæ hujus ab altera mamma nunc appareat, neque defectus aliquis in loquendo, multo minus in deglutiendo, obſervari poſſit.

§. 8. Vir 30. circiter annorum, *febre tertiana* recidivante, atque in *quartanam*, imo tandem in *hecticam* degenerante, tantum non ad incitas redactus: noſtram imploravit opem. Cum vero haud obſcura *morbi venerei*, ante annos aliquot contracti, nec funditus tum percurati, veſtigia apparerent; adeoque tota maſſa humorum graviſſime corrupta, viresque tam per morbi diuturnitatem, quam varias medicationes plane exhauſtæ eſſent: non aliud ſupereſſe videbatur præſidium, quod tot tantisque malis efficaciter opponi poſſet, quam illud ipſum *Sal Mercurii*, cujus uſus prædicto ægro adeo bene ceſſit, ut quaslibet ejus doſes non ſolum ſudores largiſſimi, ſed & poſt ſudores fœditiſſimæ dejectiones exciperent, tanta quidem cum euphoria, ut etiam ipſis adhuc ſudoribus, qui alias vix unquam ſine aliquali jactura virium contingunt, notabile roboris augmentum perſenſerit, atque his excretionibus ita rite procedentibus, ac ſenſim ſponte decreſcentibus, intra novem dierum ſpatium optatam ſanitatem recuperaverit, & etiamnum per Dei gratiam ſanus vivat ac incolumis.

§. 9. Annus jam agitur quartus, ex quo inſignem hujus *Salis Mercurialis* efficaciam etiam in *Acutis* ſpectare licuit. Graſſabantur tum temporis *Variolæ* valde malignæ, & totas hinc inde familias depopulabantur; imo hujus ipſius, quam mox memorabimus, puellæ fratrem jam abripuerant. Invadunt tunc conſueta Variolarum ſymptomata puellam vix bimulam, eamque ſtatim ita obruunt & enervant, ut tota languida, imo vix ſui memor, valde tamen æſtuans jaceret, Parentes vero, quin & Medicus ordinarius, qui fratris prius defuncti, ab initio tamen longe tolerabilius decumbentis, morbum & mortem ſpectaverant, de filiolæ vita penitus deſperarent. Tertio demum die advocatus ipſemet hærebam anceps, vim *laxantem* hujus *Salis* perpendens, an ipſius uſus hic ſatis foret tutus. Cum tamen ſimul *confortantem* ac *diaphoreticam* ejus virtutem trutinarem, animo recepto placuit doſin unam vel alteram porrigere, qua vix aſſum-

pta,

pta ſtatim quietior facta per binas horas placide dormivit, poſtea tres dejectiones atras & fœtidiſſimas habuit, hisque ſponte ceſſantibus, eruptio Variolarum ex voto ſucceſſit, quæ tamen nec numero, nec magnitudine, nec ſymptomatibus conſtitutionem iſtam epidemicam æmulabantur; ſed totus morbi decurſus adeo erat tolerabilis, ut quinto, ſexto & ſequentibus diebus extra lectum verſari, & propemodum ludibunda gravi hoc morbo defungi potuerit.

§. 10. Paulo poſt adoleſcentulus 15 annorum gravi corripiebatur *peripneumonia*, eaque ipſa, præſertim cum quinto die expectoratio ſupprimeretur, ad incitas fere redigebatur; ita ut jam delirans pro deplorato haberetur. Unica tamen, ſed paulo largiori, hujus *Salis Mercurialis* doſi, ex præſentiſſimo lethi jam imminentis metu fuit ereptus: quippe qua vix ſumpta, mox reddebatur quietior, ſudor cum euphoria erumpebat largiſſimus, reſpiratione liberiore & expectoratione ſimul redeunte; ita ut ſeptimo die jam extra omne periculum conſtitutus videretur, & brevi plane convaleſceret.

§. 11. Atque eadem hæc, quæ modo de *ſale Mercurii* tradidimus, in præparatione *Salis ſolaris* obſervanda ſunt. Quod ſi enim *Aurum* in ſubſtantiam reſinoſam ope laudati Menſtrui converſum, deinde eadem methodo, quam ſuperius in præparatione *ſalis Mercurialis* commonſtravimus, ulterius tractetur; obtinetur pariter *ſal* valde ſubtile, candidiſſimum, ſaporis penetrantiſſimi, odoris vero ſuavitate ipſum modo allegatum *ſal Mercurii* antecellens, & vel hoc ſolo criterio ab eodem diſtinguendum.

§. 12. Vires quod attinet medicas, præbet hoc *Sal* ſummum *Naturæ confortativum*, quod omnia alia Analeptica, quæ plerumque vix quicquam præter nomen ſpecioſum habent laude dignum, longo intervallo poſt ſe relinquit. Siquidem etiam exiliſſima quantitate exhibitum, ita ut unicum granum aliis remixtum in decem & plures doſes poſſit dividi, nihilominus præſentaneam opem affert in partu facilitando, imo in ipſo abortu & hæmorrhagiis uteri efferis compeſcendis, ut & in convulſionibus epilepticis ferociſſimis ſedandis.

§. 13. Sed non opus fore exiſtimo, ut plura hujus *Salis ſolaris* encomia cumulem; cum eximiam ipſius in medendo efficaciam pluribus jam exemplis & ſpeciminibus, etiam in caſibus tantum non deſperatis, comprobaverit *Pulvis* ſic dictus *Niger*, in Pharmacopolio Orphanotrophei Hallenſis una cum ſupra laudata *Eſſentia Dulci*

hactenus diſpenſari ſolitus: quippe qu. præcipuam ſuam energiam a *Sale* hoc *ſolari*, quod in ſinu ſuo fovet, fœneratur.

§. 14. Non deſunt tamen exempla optatiſſimi quoque effectus *Salis* hujus ſeparatim exhibiti, ex quibus unicum ſolummodo in medium proferre liceat. Puerulus annum vix ſupergreſſus, diarrhœa bilioſa, fœtida, per 4 ſeptimanas perſeverante, cum induratione, inflatione & ardore abdominis ſummo, jugi inſuper agrypnia torminibusque vehementiſſimis miſerrime afflictus, ac plane exhauſtus & conſumptus, cui neque interna abſorbentia, carminativa & ſtomachica, neque externa paregorica atque nervina balſamica quicquam levaminis afferre potuerant, ita ut res jam conclamata videretur, a duobus circiter hujus *Salis ſolaris* granis, in tres doſes diſpertitis & ſucceſſive exhibitis, primo quietem & ſomnum recepit, mox blandum ſudorem ac miram alacritatis redintegrationem expertus eſt, imo intra pauculos dies perfecte convaluit.

§. 15. Quod ſi quis denique *Sal* hoc *ſolare* ulterioribus tentaminibus Chymicis ſubjicere voluerit; inveniet aliqua circa *fixationem Mercurii* experimenta, viſu & obſervatu certe non indigna. Sed cum hæc latius proſequi jam non ſit noſtri ſcopi, pedem hic figo, ac Summo Numini pro gratia ipſius ſumma, qua me indigniſſimum huc usque beavit, & hoſce meos conatus clementiſſime ſecundavit, gratias perſolvo devotiſſimas.

COROLLARIA.

1. Iners phlegma Vini certa enchireſi convertitur in ſpiritum oleoſum ſumme volatilem & ſubtilem Spiritu Vini rectificatiſſimo odoris ſuavitate atque eximia, qua pollet, penetrandi virtute longe ſuperiorem, nullum tamen ardoris ſenſum linguæ imprimentem.

2. Martem ſolet Mercurius currens conſtanter reſpuere; posſunt tamen ambo ita invicem uniri, ut intime & arctisſime ſeſe amplectantur, & ☿ plenarie figatur, nec unquam reduci atque in priſtinam formam currentem revocari poſſit.

3. Spiritus Nitri certa enchireſi adhibita aurum & argentum ſimul ſolvit.

4. Salia alcalica fixa certa enchireſi in putredinem abeunt, & blando quoque calore alembicum tranſcendunt.

F I N I S.